





einzelne vertheilt 11. III. 1915.

**Biblioth. theol. vol. 33**

*Einzelnen de ijs.*

~~1111~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-16*

SIGNAT. c1515CCCXIII.

1) 2) 3) 4) 5) 6) 7) 8) 9) 10) 11) 12) 13) 14) 15) 16) 17) 18) 19) 20)



CHRISTI OPE!  
 EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM  
**EX JUDICUM XI.**

v. 30. & seqq:  
 circa Jephthæ votum  
 PRÆSIDE

*VIRO AMPLISSIMO ET EXCEL-  
 LENTISSIMO,*

**DN. ANDREA SENNERTO,**  
 LINGUARUM ORIENTALIUM P.P. CE-  
 LEBERRIMO, DN. PRÆCEPTORE ET PA-  
 TRONO SUO DEVENERANDO,

*placide συμφιλολογούντων ἐξετάσῃ*  
 A. D. 7. SEPT. A. CHR. 1650.  
 In Auditorio Majore Horis antem.

*submitter*

**M. CAROLUS OXZEB/**  
 OLSNA - SILESIUS



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.





CHRISTY OPEI  
EXPLORATIONEM ETHNOLOGICAM  
EX JUDICUM XI  
V. 30 & 30 pp.  
CIRCA JESUM VOTUM  
PLACIDE  
VRO NARRATIONE ET EXCEL  
LENTISSIMO  
LINDHARTMANNI ORATIONEM PRO OB  
LITATIONE IN BRACHIORE ET PA  
TRONIS SUI TESTAMENTO  
In Auditorio Majoris Hallae  
M. CAROLUS DRESSE  
OLINA, SILEBIA  
THE JOHANNES KAMMERL AND TYPOS







S. I.

**S**cripturam S. qui *ψυχῆς τροφή*, cibum animæ indigitavit B. Athanasius apud Celeberr. *Glaß. Epist. dedic. Operis auro magis aurei Phil. S.* non præter rem usus convenientissimâ hâc translatione est, quam prosecuti deinceps diductiùs sunt latiusq; PP. alij, *Fulgent. Serm. de Confess. Augustin. præcipuè, qui de doct. Christi II. 7. citante Magna Gerharo T. 1. Loc. 1. c. 5. §. 71.* in eo quoq; inter Scripturam atque cibum contentionem instituit: quod uti quoad hunc alius avidæ famelicorum expectationi, alius delicatæ semisaturorum gulæ sit explendæ: ita in illâ & simplicioribus ac jejunis perspicua, & doctioribus obscuriora proponantur. *Tom. X col. 41. serm. 11. de V. D. ap. Dieteric. Inst. Catech. de Script. S. q. 29* his rem istam verbis exprimit Præsul Augustissimus: *in omni Copiâ Scripturarum Sanctarum, pascimur apertis, exercemur obscuris: illic famelicitur, hîc fastidium.* Confer & *Tract. ejus in Job. 45. Tom 9. col. 331.* Ne autem triumfet in concessis istis adversaria nobis manus, rafa Esavitarum & Monachorum natio, illa meras ubiq; obscuritates, & tenebras Sacri Codicis plusquàm Ægyptias plenis faucibus infrunitè crepans, *ejusdem Augustini* simul recognoscat divisionem, quâ *contra Jul. Pelag. l. 2.* materiam Scripturæ tribuit in res Fidei & Quæstionis. Quoad illas, ut à Theologis Nostratibus luculenter demonstratur, lux mera veraque est & fulgidissima lampas, Scriptura; quicquid etiã Adversarij reponât: stamus in thesi istâ firmo talo, quem moveât, si possunt, & triumfent. In his verò non negamus offendi obscuritates, dari etiã dissensiones Interpretum non infrequentes. Quis enim saniorum hoc neget, cum tot tantæq; eorum publicitus existent pugnæ, quas de versionibus hujus vel illius vocis, hujus vel illius phraseos cominus atq; eminus, casim punctimvè decertârunt, ut qui neget illud, in isto literarum genere hospes meritissimo jure audiat.

A 2

II. Age





II. Age verò exemplum cape, quò fidem firmes, quod dat  
 etiam *D. Christianus Matth. Syst. Th. min. L. 1. c. 3. q. 8.* Historiæ  
 Judicum Conditor, quisquis ille fuerit, homo certè Dei, c. XI,  
 30. seqq. commemorat, Jephtham, Heroa illum nominatissi-  
 mum, qui natalium dedecus decore gestorum insignium deli-  
 nivit, ad Ammonitas debellandos cum exercitu descensurum,  
 voto se constrinxisse, ejusq; reum, petiisse hosticum, Ammoni-  
 tasq; invasisse, cecidisse, domasse, & cum hic ipse felix even-  
 tus esset conditio voti facti, damnatum hujus, cum rediret  
 domum, in propriâ suâ eâq; unicâ id solvisse filiâ. Hanc circa  
 historiâ variâ actâ sunt hætenus tractæq; passim lites. Scili-  
 cet dimicant catervatim collatis signis, adversâq; acie natio  
 Eruditorum sat ampla de historiæ sensu: utrum is Filiam Pole-  
 marchi immolatam asserat, an neget. Quod asserat, propu-  
 gnant *Justin. Martyr. q. 99. Tertull. contr. Marc. 3. 4. Nazianz. Orat.  
 de Machab. Ambros. l. 3. de Virg. & de Off. 3. 12 Hieron. Epist. 34. ad Ju-  
 lian. Chrysost. hom. de Jephth. Aug. de C. D. 1. 21. Theodor. q. 19. super  
 lib. Judic. immò plerâq; antiquitas. Lutherus in marg. h. l. Bald. conc.  
 L. super. h. l. Musculus LL. CC. p. 569. Petrus Martyr Comm. ad h. l.  
 Sutliv. de Monach. c. 19. Crellius in promptua. Bibl. tit. Jephth. Wilb.  
 Lyserus MSS lect. a. i. Summarij n. 108. Brochman. Syst. Th. Tom 2.  
 Art. 38. c. 3. Casu Consc. 6. Petr. Ravanelius Bibliothecâ S. tit. Sacrific.  
 num 11. D. Friedlieb Observ. Bibl. in libr. Judic. art 2 clas. 7. q. 20. & c.  
 Pontificij quoq; per plurimi, Thomas 2. 2 q. 88. art. 2. Genebrar. ad A.  
 M. 2981. Abulensis, Hugo Victor, Menoch. Salian. Torniel. Serarius,  
 Cornel. à Lap. Comm. in h. l. aliq; Ex adverso his contradicunt  
 Brentius cit. ap. ouoψn Dov sibi Franz. in de Interpr. SS. Orac. 71.  
 Chytra. Comm. in h. l. Andr. Osiand in not. marg. ad h. l. Pellicanus,  
 Münst. Brugthon. Lyrân. Junius, Tremell. Vatabl. Pagn. Arias Mont.  
 hic: Perkinsus T. 1. Operum Casuum Consc. 2. 15. q. 3 Hugo Grot. & l.  
 Drusus Com. n. in h. l. Heins. Exerc. in N. T. in Ep. ad Ebr. XI. 32.  
 Schindl. Lex in rad. תנח תoffan. Indice Bibl. tit. votum, Quistorp. &  
 Piscator in h. l. Glass Phil. S. l. 4. tr. 1. obs. 7. Fessel. Advers. S. 1. 8. & c.  
 Ut fileam interea pugnas Rabbiorum, à quorum parte maxi-  
 mâ, Targumistis & Talmudistis, Josepho Orig. Jud. 5. 9. R. Mose Bar  
 Naëbman R. Sal. Jarchi ad h. l. & ad 1. Paral. IX. 10. & c. recedunt  
 R. Joseph & Dav. Kimchij P. & F. Hic quidem l. radic. & Comm. ad  
 h. l.*



b. l. R. Bechai in Pent. f. 161. & R. Levi Ben Gerson. Neutrius sententia patrociniū suscipiunt, sed prudentem cautamq; potius ἐπιχειρῶν ἀπλετῶν Gerh. Tom. 7. S. 507. Seld. de Jure Naturæ & Gent. IV. 11. Wolffg. Maierus in Not. ad Perkins. locum citat. &c. Dimicant etiam iidem atq; alij diversis invicem studijs partibusq; de varijs particulis, vocibus atq; phrasibus in hoc ipso textu sacro vel vertendis legitimè, vel ab hoc aut illo interprete malè versis.

III. Nos, quibus animo sedit ἐπιχειρῶν & ipsis hâc vice, hoc loco certisq; de causis, premereq; aliquousque veriore, in quantum quidem nobis videtur, nostramq; sententiam, nihilominus alicujus exercitij Philologici ex isthoc loco brevis disputatori i petere materiam, litem illâ, ceu dictum, de Historiæ sensu nostram hoc loco atq; tempore non faciemus, sed de vocum saltim & phrasum quarundam versione dispiciemus paucula. Rati id laboris esse non contemnendi: cum à verborum intelligentiâ ad rerum ipsarum notitiam, viâ quasi regiâ provehamur: nisi Platonem, Agellium, Scaligerum Sponsores insuper habere velimus. Detestamur a. ante omnia publicitûs, modoq; eo, qui solemnissimus esse potest, supercilium etiam omne in judicando de secus sentientibus arrogans, non malè sanum, duntaxat jurandi in verba alicujus Cacoëthes. Nam illud superbiæ esset, hoc simplicitatis: illud odium, hoc commiserationem mereretur: Utrumq; vitio dandum nobis non levi foret.

IV. Initiò ex v. 31 tria proponemus. Primò quidem *Vulgatum Lat. Interpretem censoriâ* notabimus virgulâ: dein circa particulam *van hîc disjungat, an conjungat aut copulet solliciti* erimus; deniq; de phraseos *העלה עולה* naturâ & sensu dispiciemus. De I: *Vulgatus* habet: *quicumq; primus fuerit egressus de foribus domus meae mihiq; occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram domino.* Hic malè (1) Genus vocis, quâ subjectum consecrandum à Jephthâ designatur, vertit. Rectius enim Ebræa, fontium verba *וְהָיָה הַיּוֹצֵא מִן הַבַּיִת* redduntur h. m. *Erît egrediens, quod egredietur, &c.* in



Neutro genere, censentibus ita *Grotio, Corn. à Lap. Fesslio, Franz. Broehm. ll. cc.* facientibus quoq; id versionibus *Aria Mont. Vatabli, Pag. Robert. Steph. &c.* Masculina quidem sunt verba Ebraica: sed notum est solere non Foeminina tantum, sed & Masculina pro neutris, (quod genus Ebraeis ratione sc. terminationis peculiaris, non item significationis deest) poni, quod Criticis credes *Celeb. Glas. l. 3. Ph. Sacr. tr. 1. Can. 19. Praclariss. Dn. Praesidi Gramm. Ebr. l. 1. c. 5. mem. 3. ann. 2. aliis.* Et patet facile cuivis, non intendi hie genus Masculinum in Subjecto occursuro, alias potuisset effugium in lamentis suis invenire Pater infelicissimus. Scilicet includunt utiq; verba voti ipsius, utriusq; sexus hominem, & ex intentione quidem includunt, quod eventus liquidò probat. Includunt hominem, sed nec excludunt bestias, quæ immolari, voveri & consecrari frequentes divinis usibus solebant. Determinatum adeò quidem est subjectum. Domino offerendum, ad ea scilicet rerum genera, quibus ambulare & in occursum alicujus domo egredi integrum est; de his tamen omnibus universaliter dicitur, hominemq; cum gressilibus brutis omnino includit. Hinc errant qui statuunt, *Jephtam, non deceptum sed volentem humanam tantum vovisse victimam, cum pecudes non soleant obviam Victoribus procedere.* Nec minus *Rabbini quidam & Abulensis* falsi sunt, dum e contrario pecuinam tantum & immolabilem quidem vovisse eum hostiam censent, dubitasse autem post de mente & materiâ voti generaliter prorsus concepti, & immolasse adeò occurrentem filiam. Malè (2) omittit *Vulgatus* aliqua & ex bimembri voto unicam facit enunciationem. *Eum holocaustum offeram Domino,* vertit. In Ebraeo sic legitur: *וְהָיָה לַיהוָה וְהָעֲלִיתִּיהָ עֹלָה* & erit Domini & adscendere faciam illud adscensionem. Nævus est omisio ista in Interprete, quicquid etiam ad excusandum illum Pontificij reponant.

V. Nunc ad II. ex hoc Versu. Particula *ו* in Verbis *וְהָעֲלִיתִּיהָ עֹלָה* Interpretibus, qui utrumq; voti agnoscunt membrum, aliis est copulativa, *V. Martyr em, Guil. Forbesium, Scotum in Notis Maieri ad Perkins. Ravanellum, Selden. &c. ll. cc.* alijs disjunctiva pro *aut* posita, *ut R. Kimbio, R. Gersom., B. Bechai,*



R. Bechai, Grotio, Druf. Perkins. Osiandro, Chytr. Franz. Bernb Zigler  
 ro ap. Brent. Glas. Toffan. Pagn. Vatabl. Jun. Trem. ll. cc. Schindl. Lex.  
 col. 453. aliisq;. Producunt hi exempla alia gemina Gen. XXVI,  
 II. Ex. I, 10. XII, 5. XXI, 15. 16. Deut. XXVII, 9. Esa. VII, 6. &c. sensumq;  
 adeo exstruunt talem: erit Domini, h. e. consecrabitur Deo; aut  
 offeram illud holocaustum, h. e. immolabo si tale animal, quod sit  
 holocausto idoneum, non consecrationi tantum, fuerit. Ve-  
 rum enimvero non potest hæc interpretatio invenire hęc lo-  
 cum: cum vis  $\tau\delta$   $\gamma$  propria sit copulativa, disjunctiva verò in  
 subordinatis non obtineat, qualia sunt hæc: *Consecrari Domini*  
*& offerri in holocaustum*. Aut animal aut homo hęc adfuit, non  
 dixeris bene: cum & homo animal sit. Parili modo & oblatio  
 in holocaustum est consecratio, est species generis, de quo se-  
 jungi commodè non potest. V. Serar. in b. l. q. 14. Brochm. Heins. &  
 ex eo Fessel. ll. cc. Quanquam autem hoc asserimus, non tamen  
 approbamus, quod interpretationem istam  $\tau\delta$   $\gamma$  disjunctivam,  
 ridiculam statim proclamet *Piscator in b. l.* immò perversio-  
 nem textus nuncupet D. D. Friedlib. l. c. uterq; paulò durior,  
 cum tot tantiq; Viri, qui illud tamen asserunt, mitiùs tractari  
 vel ipsa invidia iudice mereantur.

VI. Phrasin tandè  $\eta\lambda\epsilon\eta$  loco III. quod concernit, ea ple-  
 risq; hætenus omnibus denotavit holocaustum offerre: Hein-  
 sius tamen, cumq; eo Fesselius ll. cc. aliter explicant. Verbum  
 quidem per  $\alpha\nu\alpha\phi\epsilon\rho\upsilon$ , offerre, quæ significatio non infrequens  
 ipsi: V. Buxt. Schindl. Hüttner. Avenar. Först. &c. in Lexicis in radice  
 $\eta\lambda\epsilon\eta$  Consule & exempla 2 Reg. XVII, 4. Neb. X, 38 &c. & plerasq;  
 h. l. Versiones Vulg. Jun. Tremell. Osiand. Steph. &c. LXX. habent  
 $\alpha\nu\acute{\omicron}\iota\omega$  (in quibusdam exp.  $\kappa\alpha\iota$   $\alpha\nu\acute{\omicron}\iota\omega$ ). Nomen autem  $\eta\lambda\epsilon\eta$   
 non per  $\acute{\omicron}\lambda\omicron\kappa\acute{\alpha}\upsilon\tau\omicron\mu\alpha$  vertunt illi, sed per  $\alpha\nu\alpha\phi\epsilon\rho\upsilon$  vel  $\omega\rho\sigma\phi\omicron$   
 $\rho\epsilon\upsilon$ , ut vim verbi nomen accuratiùs sequatur, quemadmodum  
 aliàs cum dico  $\theta\upsilon\epsilon\nu$   $\theta\upsilon\sigma\acute{\iota}\alpha\nu$ ,  $\phi\omicron\beta\epsilon\acute{\iota}\nu$   $\phi\acute{\omicron}\beta\omicron\nu$ : qualia exempla  
 ex V. & N. Instrumento collegit plurima *Celeb. Glas. Ph. S. 13.*  
*tr. 3. Can. 32.* Verum verbum quidem  $\eta\lambda\epsilon\eta$  solum absq; con-  
 jugato suo nomine  $\eta\lambda\epsilon\eta$ , pro oblatione donativa reperiri, fa-  
 cile damus insigni Philologo: ita est: reperitur allegatis in ll.  
 hoc sensu; at non conjunctum cum hoc nomine, quod & so-  
 lum



lum per se nunquam pro dono, sed pro holocausto semper aut adscensione vel gradu usurpari in Veteris Test. Codice, & conjunctum cum verbo suo imprimis, isto significato nullibi gaudere, Lexica adsunt, Concordantiæ adsunt, quæ contestantur. Liceat e. hîc, dum decet & libet, liberè ab illorum novâ explanatione discessum facere. Hæc de v. 31.

VII. Vox מִמְנֵי v. 34. (non erat filius מִמְנֵי, ex se,) ansam dedit quibusdam censendi, Jephtham privignos habuisse, quos attulerit ipsi forte conjux, ex quâ deinceps filiam unicam propriam suscepisset; præter hanc liberos ex se natos non vidisse, cum dicatur, non erat ei ex se filius. Ab his discedunt qui מִמְנֵי pro מִמְנֵה ex eâ (sc. filiâ, non erat ei filius) positum esse credunt, quod S. locis fieri Masoretæ observârunt. Utrumq; dubium est. Nec refert plurimum discedas ab his vel illis; utrobique conjecturam deseris.

IIIX. Versu 35. *Vulgatus* iterum negocium aliquod nobis faecessit. Jephtha enim à victoriâ suâ domum revertens, filiam suam unicam obviam sibi habet, ignaram voti paterni, sui nesciam periculi, choros ducentem & tripudia. Ut videt hanc, ut voti meminit, ut luctu tactus præcordia ingenti vestimenta scindit, & : ab, ab, filia mea, ingeminat, incurvando incurvas me & es inturbantibus me : quia ego aperui os meum ad Dominum & non potero reverti. Hîc verba isthæc conquerentis Herois הִכְרַעְתִּי הִכְרַעְתִּי incurvando incurvastis me, pravè *Vulgatus* vertit : decepisti me & ipsa decepta es : Cùm tamen verbum הִכְרַעְתִּי nunquam in decipiendi sensu usurpari, *Lexicorum & Concordantiarum*, quas vocant, *Conditores* palam faciant. Interprete ipso dignior reprehensione *Corn. à Lap. in h. l. est*, qui cum videre potuisset versionem emendatiorem, in corruptâ tamen palliandâ & defendendâ laborat, dum ad ista sic annotat : decepisti sc. spem meam de propagandâ per te familiâ : decepta es, quia putabas, me latum fore tuo egressu. Esset cur & Jephtham ipsum hoc reprehenderes in Versu tum quod turbatur animo per affectuum incontinentiam commoto, Vota enim hilari solvenda mente sunt. Luget e. immeritò, & lamentis istis testatur temerarium utiq;



utiq; imprudens, inconsideratum, stultum, (addunt alij) incogitatum, indiscretum se vovisse votum, prout Autorum consentientissimis votis nuncupatur; tum quod se reverti non posse ait. In eo enim aut insigniter ignorans aut superstitiosè pius fuit. Nempe duplex utiq; revertere volenti patebat via 1. redemptionis per siclos X. aut XXX. ex lege latà Levit XXVII, 4. 5. quicquid etiam sit, quod contra R. Simeonem Ben Lakish R. Johann. in Magister uterq; Talmudicus excipit ap. Selden. l. c. 2. Exceptionis de non prerequisite filia consensu, qui si non accessisset deinceps, rescindere Patris votum omnino valuisset. Sed de his alio loco. Linquimus e. hinc & pergimus ad §

IX. Quem v. 37. sibi vindicat. Ibi ad montes descendere velle filia Jephthæ dicitur, postquam bimestrem impetraverat à Patre moram, descendæ cum sodalibus virginitati suæ. Hinc Drusus annotat: descendam in montes (וַיֵּרְדְּתִי עַל-הַהָרִים) pro ascendam; sine habitâ sitûs ratione: scil. in montes ascenditur non descenditur. Variè in conciliandâ hæc phrasi versantur interpretes. Nobis ita videtur; aut Mispen, domum Jephthæ fuisse in montium circumjacentium eminentissimo sitam, tota m. Gileaditis terra montosa erat: aut descendendi verbum pro ascendendi notione scribi. Ebræorum enim hunc receptum esse morem, aliunde constat. Montes istos, ut hoc obiter adjiciam, Rabbiorum aliqui interpretantur Doctores Synedrij, quos consultum iverit virgo, & quæsitum, annon janua voto patris inveniri possit V. Drus. l. c. Explicatio insolens & rejicula.

X. Discrepant quoq; versiones verbi יָרַעָה v. 38, ubi executio voti describitur. Postquam m. redierat filia ad miraculum obsequiosa, de Patre dicitur: & fecit ei votum suum quod voverat, וְהָיָה לְאִירָעָה אִישׁ LXX: καὶ αὐτὴ ἔκλυσε τὸ ἄνδρα. Vulg. Lat. quæ ignorabat virum. Arias Mont. & ipsa non cognoverat virum Glasß. l. 4. p. 688. cum alijs, & ipsa non cognovit virum Luth. und sie war keines mannes schuldig worden. Scil. verbum Præteriti temporis vertunt jam per præteritum, jam per plusquam perf. jam per imperf. pro suo quisq; placito. Nos hic dicimus,

B

posse





posse verbum Præteritum omnino per diversa isthæc tempora, immò & per futurum reddi, exempla desideranti affatim suppetent *ap. laudatiss. Glas. l. 3. tr. 3. Can. 46 p. m. 368.* Quanam a. b. l. versio sit legitima, id anquirendum ex contextu foret. Id vero si præstare satageremus, necessariò involveremus nos controversiæ de immolatione adstruendâ vel destruendâ. At fiximus nobis jam semel cancellos, hos transgredi religio merito nobis est, in dictis e. acquiescimus.

XI Eundem hunc v. 39. claudunt verba non parum controversa hæc: *וְיִתְהַחֲק בְּיִשְׂרָאֵל* & fuit statutum in Israël. Hæc enim referunt *Alij ad v. 39.* & hunc exsculpunt inde sensum: ex hoc tempore invaluit mos in Israël, ut aliorum quoq; filia DEO hoc exemplo consecrarentur. His *allegatus antè Forbesius b. 5.* historiæ omnis silentium de gemino exemplo penes Judæos & olim & hodiè vel unico pertinaciter objiciet. Et hoc non præter rem. *Alij nec ad v. 36. nec ad v. 40.* utpote *Targum. b. l. ap. Drus. & Selden. ll. cc.* Hi dicunt hunc esse sensum: & fuit statutum, ne quis filium vel filiam in posterum Deo immolandum voveat, uti Jephtha imprudens fecerit. Sed hîc qui fabulas non subodorat, narium minus emunctarum sit necessum est. *Alij tandem ad v. 40.* & adscensionem filiorum Israël annuam referunt, & pleriq; quidem, quibus cum nos in præsens facimus.

XII *Ultimo vers.* Verbum *לְתַנּוּת* adhuc disquisitione aliqua dignum videtur. De hujus enim versione in partes discedunt diversas Interpretes. *Paraphrasis Chaldaica, Versio LXX Senum. Latina Vulg. Castal. Anglica, Gallica, Germanica &c.* per *lugere, plangere, lamentari* vertunt, quasi sit à *תָּנַן* unde *תַּנִּים*, vel *תַּנִּינִים* *dracones* & *לְתַנּוּת* *draconibus Mal. I, 3.* quorum sc. vox flebilis est. At secus nobis videtur. Nempe deducendum statuimus à *תַּנָּה* hoc *לְתַנּוּת* quemadmodum à *גָּלַח* est *לְגַלּוּחַ*. Hoc autem *תַּנָּה*, prædicare, confabulari, narrare notat, Chaldaeis frequentius quam Ebræis. Occurrit præter *b. l.* adhuc semel *Jud. V, 11.* Radix a. ficta *תַּנַּן* nunquam prorsus. Quin si occurreret quoq; tamen Grammaticæ præcepta istam flexionem hîc respuerent utique, quod cuivis istarum literarum vel leviter



ter gnaro non potest non patere. An sequens particula & qui-  
cum constructur *h. l.* Dativi nota sit, ut vult *Heins. Fessel.* & qui  
iporum sententia sunt, reliqui: an v. notet præpos. DE, quod al-  
terius sent. Propugnatores affirmant, super sedemus determi-  
nare. Iterum enim sententiam alterutram cogemur ap-  
probare & sustinere deinceps adversarios. Id quod hâc vice  
diximus supra nos non facturos. Stamus e. promissis & hîc  
dicto illi audientes sumus proverbiali: *De tabulâ manum.*

## COROLLARIA

I. Certum est, Gentibus in more positum fuisse ex jure mi-  
litari certo anathematis, bello s. prælio prævii genere, devovere  
hostes, ut probat *Selden. l. c. cap. 10. V. Tacit. quoq; & Livium in*  
*Cl. Freinsb. Nott. ad Flori 2. 4. 5.* An hos Jephtha æmulus voto  
suo esse voluerit, Dubitamus.

II. Proditum literis affatim est, gentes humanis litasse vi-  
ctimis: *V. Cas. Bell. Gall. 6. 16. Plut. in Themist. Bernegg. in nott. ad Ju-*  
*stin. 18. 6. 12. Florum 3. 4. 1. & 1. 16. 7. Curtium 4. 3. 38. Plin. H. N. 30.*  
*1. extr. Tac. de Mor. Ger. c. 9. Amm. Marc. 22 & 27. Solin. 20 & 24.*  
*Agell. 2. 6. Macrob. 1. 7. Prud. l. 2. cont. Symm. Varr. l. 16. rer. div.*  
*cit. Aug. d. C. D. 7. 19. Tertull. in Scorp. c. 7. Laët. 1. 21. Wier. de præst.*  
*Dem. 1. 7. alios.* Liberos quoq; proprios sacrificasse. *V. Plut. l.*  
*de Superst. c. 21. cit. Bernegg. l. c. Athenaus l. 4. Diod. Sic. 20. 14. En-*  
*nus, Trogus ap. Dionys. Vossium Nott. ad R. Mosis Maimonide l. de*  
*idololatriâ capite 6. membro 5.* Præ reliquis cumulatim isthac  
exsequitur, seculi decus *Cl. Hugo Grotius in de Chri. Satisf. c. 10.*  
Horum exempla secutum esse Jephtham, quiasserunt, non vi-  
dentur nobis applausum nostrum hoc ipso argumento me-  
reri: quia historia Jephthæ plerisq; omnibus exemplis Paga-  
norum allegatis longè est antiquior.

III. Fuerunt è PP. (*V. Petr. Mart. & Corn. à Lap. ll. cc.*) qui  
Jephthæ filiam gratum Deo holocaustum oblatam, fuisse scri-  
plerunt. Hinc Manichæi, Valentiniani, Marcionitæ & alii V. T.  
hostes ansam arripuere calumniandi Deum, ut crudelem, hu-  
manoq; gaudentem sanguine, uti accepimus, ab *Aug. q. 49.* Re-  
futati v. & huic & aliis PP. passim, nostrâ ferulâ & operâ,  
hîc præsertim, non indigent.

IV. Παῖς



IV. *Παρογογία* quoddam plurimorum hactenus voti nostri In:er pretum hic nota. *Votum temerarium*, ajunt, *quid n. si a-  
sinus, si canis, si aliud immundum animal occurrisset, faceret? Nec  
consecrare Deo, nec in holocaustum offerre potuisset.* Immo verò  
consecrare non ipsum quidem animal, pretium tamen ejus à  
Sacerdote præscriptum omninò potuisset. *V. Lev. XXVII, 11.*

V. Multum non refert habere fidem, an denegare velis *Philo-  
loni ap. Corn. à Lap l. c.* & nomen Filiaë Jephthæ, SEILAM, & thre-  
num ejus, quem in montibus fudit, recensenti.

VI. R. Lipman disp. adv. Petrum quend. qui descivit à Jud.  
cum aliis Rabb. quibusdam (*V. Marty. & Torb sium ll cc.*) tra-  
dunt Jephtham noluisse ad Phineesum Sacerdotem, & hunc ad  
illum accedere, ut votum dissolveretur, dignitatis suæ  
utroq; prætendente prærogativam. Sic igitur periisse filiam,  
punitum a. divinitus esse illum paralyti, hunc discessu Spûs S.  
Sed Chronologia vix admittet Rabbiorum hoc commentum.  
*V. Seld. l. c.*

VII. Nec hoc prætereundum, quod *Epiphan.* habet *heresi-  
ss. ap. Voss. de idololat. 1. 23. in addendis*, Jephthæ filiam in Syris  
Numinibus solemnifesto cultam Sebaestes. Samariaë fuisse.

VIII. *Genebrard. ad ann. M. 2981.* se ab Ebræo quodam ac-  
cepisse scribit, sententiam de Filiâ Jephthæ non mactatâ, esse ab  
Autoribus suis excogitatam, ne inde Typus Filii Dei à Patre sa-  
crificati duceretur. Quasi verò hic si deesset Christianis ty-  
pus & illatus quidem (*V. Glas. Ph. sl. 2. par. 1. tr. 2. s. 4. art. 5.*)


convinci non possent Judæi. Sed de his Theo-  
logi. Exstingue lychnum, solem  
habemus.

JEHOVÆ GLORIA.




















Umg VI 16

ULB Halle 3  
002 061 678



6-317  
sb


Z











35 30

CHRISTI OPE!  
EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM  
X JUDICUM XI.

v. 30. & seqq:  
circa Jephthæ votum  
PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET EXCEL-  
LENTISSIMO,

N. ANDREA SENNERTO,  
LINGUARUM ORIENTALIUM P.P. CE-  
LEBERRIMO, DN. PRÆCEPTORE ET PA-  
TRONO SUO DEVENERANDO,

*πλασιδα συμφιλολογωντων εξετασι*  
A. D. 7. SEPT. A. CHR. 1650.  
In Auditorio Majore Horis antem.

*submitter*  
M. CAROLUS OXZEB/  
OLSNA - SILESIVS



WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

